Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigesima Decembris.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, Præside.

An in curatione morborum medicamenta quæ ex stirpibus parantur aliis anteponenda?

HOMO viventium omnium princeps corporis quantumvis perfectissimi conditione morbosissimâ, omnibus μοίρας παντοδαπῆς quibus addicitur incommodis, in dies horasve læderetur ac succumberet, nisi opem illi auxiliumque ferret Medicina Dei munus & Dei manus suis salutaribus præsidiis diætetices atque pharmaceutices operâ quarum illa victus rationem, hæc τὰ βοηθήματα ἰατρικὰ præscribit ex docti, prudentis, & orthodoxi Medici consilio & imperio. Verùm utrique Medicinæ famulæ ac ministræ materiam abundè suppeditant stirpes ipsæ, quas Deus Opt. Max. in primo rerum omnium ortu creavit ad orbis amænitatem non modò, verùm etiam ad hominis commodum & usum.

MAGNAM alimentorum ubertatem & copiam à plantis oriri nemo nescit; ac primùm quidem fruges sive cerealia dona, legumina, olera, fructus pro cibo dantur, ut & pro potu vinum, pomaceum, & zythum stirpium fœturæ non ignobiles. Nec minor quoque medicamentorum omnis generis luxuries manat à stirpibus, quarum in medendo vis maxima, maxima virtus: Medicamentorum nomine ea propriè intelligenda veniunt quæ naturam corporis immutant, eamque à non naturali statu ad naturalem reducunt. Quâ ratione è medicamentorum familiâ exploduntur alimenta & venena; illa siquidem corpus augent ac servant, hæc illud ipsum corrumpunt & enecant. Medicamenta simplicia sunt illa quidem & composita, quæ intus sumpta vel qualitatem excedentem, quæ intemperiem creat, corrigunt & emendant, vel humorem noxium, qui cacochymiam parit, vacuant & amandant.

ETSI in compositione medicamentorum quæ in usum Medicinæ cedunt tria rerum genera vulgus commendat, stirpes videlicet, mineralia, & animantia; materiam tamen ferè omnem subministrare creduntur plantæ, mineralia verò & animantia per paucam, aut nullam. Quæ igitur ex stirpibus profecta sunt medicamenta, apud melioris notæ Medicos majoris sunt pretii & commendationis, utpote quæ naturæ corporis nullatenus infensa, benignâ & amicâ qualitate in corpus agunt; quæ verò ex mineralibus, naturæ hominis plurimùm adversantur, calorique nativo, malignâ vi, quâ necant, non leve damnum afferunt. Animantium demùm conditio ea est ut, si corpori pabulum præbeant, sed non omne, nullius ferè sint in Medicinâ nominis, vixque medicamentorum familiæ ascribantur.

PORRO illa duntaxat æstimari debent medicamenta cæterisque anteponi, quæ naturâ & indole, qualitatibus ac viribus, & agendi modo præstant, atque ut tuta & benigna remedia in curatione affectuum præter naturam adhibentur; è contra illa damnantur, atque è Medicinæ castris arcentur quæ totâ substantiâ, malignâ qualitate, & agendi vehementiâ corpus lædunt, & non sine vitæ discrimine administrantur; qualia hauddubiè censentur illa medicamenta quæ ex mineralibus desumpta sunt, quorum vis deleteria vitæ principiis contraria corporis universi œconomiam subvertit, miserosque mortales nil tale cogitantes jugulat. Longè alia stirpium indoles quæ nostris corporibus amica ad devincendos morbos maximè est accommodata, ita ut omnis benè medendi ratio pendere videatur à stirpibus, quæ pro vario alterandi & vacuandi scopo in varias classes distribui assolent.

INTER eas stirpes quæ alterandi virtute valent primas tenere dicuntur Adjantum, Althæa, Apium, Borrago, Buglossum, Cerefolium, Cichorium, Cucumer, Lactuca, Malva, Nymphæa, Plantago, Portulaca, Pimpinella, Oxytriphyllum, Mala aurea, granata, & medica. Catharticis annumerantur Agaricus, Aloë, Carthamus, Cassia, flores Persicæ arboris, Manna, Rhabarbarum, Rosæ pallidæ, Senna, & Tartarum: Ex quibus omnibus parantur in officinis medicamenta; nec solùm ex illis stirpibus, verùm etiam ex aliis quæ novitate plerisque arrident, inter quas maximè commendantur The folium Sinense, Caffe faba arabica, ex quibus fiunt potus illi percelebres, qui Rheumaticis, atque lienosis affectibus conferre creduntur, ut & Kinakina cortex ille Peruvianus febribus.

Ergo in curatione morborum medicamenta quæ ex stirpibus parantur aliis anteponenda.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Maillard.
M. Ioannes Poisson.
M. Iacobus des Prez.
M. Renatus Chauvel.
M. Petrus Paulus Guyart.
M. Franciscus le Rat.
M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes Baptista Moreau, Serenissimæ Delphinæ Medicus primarius Professor Regius.
M. Ioannes Hamon.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA DOYE, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.